



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

De Venerabili Eucharistiæ Sacramento Decisiones Theologico-Legales

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisionis XVII. Ad Aprilis Quæsitum secundum. Argumentum. Agitur de forma consecrationis Calicis. Plures Calices solitos fuisse apponere Judæos celebrantes Pascha Azymorum ostenditur, atque eorum ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94643](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94643)

nam consecratiuam; Sicut enim sunt causa moralis consecrationis, ita etiam ununtur in unam causam moralem, quia habentur per modum unius, cum ordinentur omnes ad eandem materiam consecrandam; & ad eundem effectum consecrationis. In hac autem causa Episcopus, seu principalis consecrans se habet veluti forma dans unitatem, & motum, quia ceteri omnes ipsi adiunguntur ut accessorii.

Ex hoc autem fit, quod ex institutione Ecclesiæ significatio forme consecrationis, quæ est vis operativa, seu potius ipsa operatio, quæ est ab accessoriis, fit adjuncta significationi verborum principalis consecrantis, & veluti ipsi alligata; unde ducitur ab ipsa ad causandum; & ideo ponit effectum ut conjuncta significationi principalis consecrantis, & ut præsens sequens motum ipsius.

Et ideo siue verba paulò ante compleantur, quam compleantur à principali consecrante, siue paulò post, censentur esse moraliter simul; & constituere unicam causam illius effectus, determinatam morali modo in ipso principali consecrante; & consequenter quilibet moraliter concurrat ad effectum consecrationis, quia significatio verborum cuiuslibet est unita moraliter, & simul significationi verborum principalis consecrantis, siue in esse completo paulò ante præcedat, siue paulò post subsequatur; quia hoc parvum discrimen non tollit similitudinem moralem. Corpus autem, & Sanguis Christi ponitur sub speciebus, quando primò completur significatio verborum principalis consecrantis, tanquam ea, cui omnes alie subduntur.

- 25 Corollarii loco pro conclusione hujus Quæstioni duo sunt colligenda notanda. Unum, quod Magistri Ceremoniarum in ordinatione Sacerdotum, eos exactè moneant proferre verba consecrationis Panis, & Calicis simul, & unitim cum Episcopo. Alterum, quòd non permittant, eosdem noviter ordinatos Sacerdotes stare in nimia distantia ab Altari, ob doctrinam Bonacinæ disp. 4. de Euchar. quæst. 2. punct. 6. n. 11. & Thomæ Tamburini de Jure Divino lib. 4. cap. 2. de Eucharist. n. 8. dicentium, incertissimum esse, an materia Eucharistiæ consecratur à Sacerdote distante per triginta passus.

DECISIONIS. XVII.

Ad Aprilis Quæsitum secundum,

ARGUMENTUM.

Agitur de forma consecrationis Calicis. Plures Calices solitos fuisse apponere Judæos celebrantes Pascha Azymorum ostenditur, atque eorum ceremoniæ referuntur. Notantur variae opiniones Theologorum circa formam consecrationis Sanguinis; & firmatur, eam consistere in illis verbis: *Hic est Calix Sanguinis mei.* Vel: *Hic est Sanguis meus.* Redditur ratio, quare dicatur: *Hic est Calix?* Et quare apposita sint reliqua verba consecrationis, ut in Canone Missalis.

SUMMARIUM.

- 1 Judæorum mores, dum comedunt Agnum Paschalem primo die Azymorum.

Doct. Clericali Tom. I. Lib. II.

- 2 Judæi plures benedictiones faciunt in mensa.
3 Crucis signo an Christus benedixerit panem, & vinum consecrandum in ultima Cena?
4 Calices plures adhibebant Judæi in Cena Paschali.
5 Forma consecrationis Sanguinis Domini.
6 Calicis consecrationis verba an sint omnia essentialia? Tres opiniones.
7 Methonymia figura accipit continens pro contento.
8 Calicis nomen cur Ecclesia adhibeat in consecratione Sanguinis.
9 Verborum consecrationis Calicis significatio.

QUÆSITUM SECUNDUM.

Quæ sit forma consecrationis Calicis, seu Sanguinis Christi.

PRæmittendum: morem fuisse, & nunc esse Judæorum comedentium cenam Paschalem, primo die Azymorum post Vesperas, singulis commensalibus Calicem vino plenum præparare, quem quater exhauriunt hoc ordine. Ante Vesperas illius die adornant domum, & seipsos & parant קעגאר Kengarà idest canistrum, in quo ponunt agnum asinum igne, שמורים Scimurim hoc est tres panes azymos, eodem die confectos, lactucas, aliasque herbas amaras, veluti cichoream, & intubum; item scutellas duas, in una quarum sic acetum, in altera חרסת Charòserb idest mixtura fructuum, & aromatum, habens speciem cretæ, seu Calicis, in symbolum illius, quam struebant in Ægypto; addentes (ex traditione, siue superstitione Rabbiorum) in eodem canistro pisces, ova, & nûces, cum amygdalis. Facto vespere ponunt idem canistrum in mensa, in qua tot sunt calices vino pleni, quot sodales sedentes ad illam, cum pluvini ad sinistram, cui inhaerent aliquantulum, ad denotandum antiquorum usum comedendi in lectis, seu ad innuendam libertatem, & requiem acquisitam in exitu Israël de Ægypto. Quindecim sunt ceremoniæ, quas faciunt ad hanc mensam, his vocibus collectæ.

קדש Kadesch hoc est, benedictio, quia benedictionem quandam recitant, & statim Calicem evacuant, epotantes vinum.

ורחץ Urchaz, idest lotio, quia illic omnes lavant manus.

כרפס Carpas, significatque res virides, herbas scilicet agrestes, quas è canistro desumunt, ac intingunt vel in aceto, vel in mixtura Charòserb supradicta.

יחץ Jachatz, videlicet divisio nam paterfamilias dividit unum panem azymum, cujus medietas absconditur subtus tobaleam ad significandum, quòd in exitu ab Ægypto detulerunt in mappis pastam erudam absque fermento.

מגיד Maghidb, scilicet narratio; narrat enim primus in mensa, quomodo eorum patres manducabant in Ægypto panem afflictionis, sed inde educti, post esum agni, potiti sunt libertate; & omnes commensales canunt diversos Rhythmos, enunciantes plagas Pharaonis, & gratias à Deo Hebræis elargitas; & interim præ gaudio extollunt eorum calices mero plenos, eosque bibendo evacuant iterum.

H 2

רחץ

רחצה Rochzà, videlicet lotio, nam denuò manus lavant, ex superstitiosa Rabbiorum institutione.

מוציא רצה Motzi, Matzà idest benedictio secunda; Herus enim facta nova benedictione brevi, frangit unum ex panibus integris, & alium jam ante dimidiatum; & utriusque parum omnes manducant, simul cum agno alfo.

מרור Maror, hoc est comestio lactucarum agrestium, intingendo illas in aceto, & in mixtura Charoset.

כורך Corèche idest revolutio, quia fracto tertio pane azymo, & frustula ejus revoluta herbis prædictis comeduntur ab omnibus, at in modica quantitate.

שולחן עורר Sciulchan & Nghorèche significans appositionem in mensa, portantur enim cibi communes, quos cœnantes edunt ad satietatem, & Calices lætanter bibunt.

צפון Zapum scilicet absconditum; extrahunt enim mellum illum panem azymum, quem absconderant subius mappam, & de eo omnes comedunt, quantum est unica oliva.

ברך Barèch scilicet benedictio, nam replent iterum calices vino, lavant manus, benedicunt Deo pro gratiarum actione, & bibunt, floctentes humerum, & caput ad pulvinar.

הלל Hallel, idest recitatio Psalmorum sex, quorum primum est. In exitu Israël de Egypto. Et denuò implent cyathos mero, & Psalmo completo, attollentes Calices ipsos, maledicunt populo Christiano, cum appellantes **גוים** Ghoim, invehentes in ipsum verba Psalmi 68. Effunde iram tuam in gentes, quæ te non noverunt; & in regna, quæ nomen tuum non invocaverunt.

נמצה Nirtzà, nempe Amen, Amen, fiat, fiat; & in hac spe bibunt ultimò Calicem vini, adhærentes, ut antea, suo pulvinari; & surgentes à cœna dormitum vadunt. His ceremoniis utuntur Judæi in vigilia Paschæ, dum incipiunt panes azymos, & Agnum Paschalem manducare, ut latius narrat Julius Maurocenus, olim Rabbini, in citato opere *Via della Fede* part. 2. cap. 30.

Ex his duocolliguntur: Unum quòd sicut hodie, ita antiquis temporibus solitum fuit apud Hebræos plures facere benedictiones in mensa, præcipuè in solemnitatibus, & in cœna Agni Paschalis, quæ benedictiones consistebant vel in recitatione Psalmorum, vel aliorum orationum, quibus laudabant Divinam Majestatem, & hinc sequitur, Redemptorem nostrum in institutione Venerabilis Sacramenti sui Corporis, & Sanguinis, gratias egisse suo Aeterno Patri, & benedixisse panem, & vino consecrando per recitationem aut Psalmorum, aut aliarum orationum, antequàm deveniret ad consecrationem; non autem per signum Crucis, ut voluit Salméron tom. 9. tr. 12. & Barradas in *Evang.* tom. 4. lib. 2. cap. 2. column. 6. Siquidem signum Crucis, quo nos oblata benedicimus, est institutum ab Ecclesia ad significandam præsignationem Passionis Christi factam in cœna, ut docet Sanctus Thomas 3. part. quest. 83. art. 1. ad 3. & observat Emin. Cardin. Capisucchi d. *Contravers. de benedict. Eucharistica* §. 1. vers. Deinde. Alterum est, in cœna Agni Paschalis esse, & fuisse solitos Hebræos adhibere plures Calices ad bibendum; ex hoc autem redditur verisimile,

non unum tantum Calicem fuisse consecratum à Christo in eadem cœna; & sic plures in diversis Orbis partibus Calices venerari, ut diximus supra ad secundum Casum mensis Martii ex Hierolex. Macri in verb. *Calix* column. 5. Barrad. d. tom. 4. lib. 2. c. 11. Et ex Storeis Menochii cap. 38. & 39. Centur. 6.

Modò respondentes ad Quæsitum dixerunt: formam consecrationis Sanguinis Eucharistici esse illam, quæ habetur in Canone Missæ, videlicet: *Hic est enim Calix Sanguinis mei; Novi, & æterni Testamenti; Mystrium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.*

Gravis autem difficultas est & celebris controversia inter Scholasticos, an omnia prædicta verba sint de essentia formæ consecrationis Calicis? Et quidem tres sunt opiniones. Una est, formam consecrationis vini requirere omnia verba prædicta essentialiter; subindeque si aliquod ex illis prætermittatur, non fieri consecrationem Sanguinis. Ita ex S. Thoma 3. part. quest. 78. art. 3. & in 4. Sentent. dist. 8. quest. 2. art. 2. & ex cap. Cum Martha. de celebrat. Missar. tenent Thomistæ plurimi, quos citat, & sequitur Eminent. Cardin. Capisucchi *Contraver. tertia de Forma consecrat. Vini Euchar.* in viginti §§. quem etiam laudat Gonet *dict. tom. 5. de Eucharist. disp. 7. art. 2.*

Secunda opinio docet, de essentia formæ esse illa verba: *Hic est Calix Sanguinis mei*, vel æquivalentia: *Hic est Sanguis meus*; cætera verò esse de integritate formæ; sicut in homine natus, aures, digitus sunt de integritate, non autem de essentia hominis, & secundum gravissimos Theologos in Sacramento Pœnitentiæ satisfactio censetur pars integralis, non autem essentialis. Ita Cajetan. Scotus, & alii citati ab eodem Gonet *dict. art. 2. num. 14.* & novissimè Agudius de *Sacrament. Eucharist. part. 4. cap. 3. punct. 2. n. 7. 8. & 9.*

Tertia opinio defendit, sola illa verba: *Hic est Calix Sanguinis mei*; seu *Hic est Sanguis meus*, esse de essentia consecrationis Calicis; alia verò sequentia esse tantum de præcepto Ecclesiæ, & ad majorem explicationem effectus Sanguinis Christi. Ita Suarez, Vasquez, Eminent. Cardin. de Lugo, Becanus, Meratius, ex modernis; Alensis autem, Scotus, & S. Bonaventura ex antiquis, ut probat Maltrius in 4. Sent. disp. 3. q. 7. art. 1. & in *Theol. Morali* disp. 18. num. 30. & 31. ubi hanc esse communem testatur, ea ratione, quia illa sola verba sunt de essentia consecrationis Calicis, quæ sufficienter significant præsentiam Sanguinis Christi sub speciebus vini. Sed hæc tantum verba: *Hic est Calix Sanguinis mei*; sive: *Hic est Sanguis meus*, id sufficienter significant. Ergo ipsa sola sunt de essentia. Item quia non sunt minoris efficacis verba prædicta in consecratione Calicis, quàm ista: *Hoc est Corpus meum*, in consecratione panis. Ergo sicut hæc sufficiunt ad conversionem panis in Corpus Christi; ita & illa ad conversionem vini in Sanguinem. Et hac opinione retenta, duo sunt breviter notanda. Unum, quòd dicitur in canone Missæ: *Hic est enim Calix Sanguinis mei* methonymicè, idest per figuram *methonymiam*, quæ accipit continens pro contento; eo modo, quo nos dicimus ad amicum: *bibe hunc calicem vini*,

vini; videlicet hoc vinum, quod est in calice. Utitur autem Ecclesia hoc nomine Calicis in consecratione Sanguinis, ad melius significandum, eum esse portabilem; nam aliàs de sui natura Sanguis non est idoneus potui. Alterum est, cetera verba in forma consecrationis Calicis apposita tres præcipuos effectus Sanguinis Christi explicare. Primum, adeptio- nem vitæ æternæ, quam veluti hæreditatem per Christi Sanguinem, tanquam testamentum, mor- 8 te ejus sancitum expectamus; ideò dicitur: *Novi, & æterni Testamenti*; nam vetus permittebat bona tem- poralia; novum autem æterna. Secundum, fidei Christianæ professionem, quam præcipue in hoc Sa- cramento exercemus, & sic ponitur *ly Mysteriū Fidei*. Tertium remissionem peccatorum, siquidem aman- tissimus Redemptor dilexit nos, & lavit nos à peccatis nostris in Sanguine suo; unde subjungitur in conse- cratione Calicis: *Qui pro vobis, & pro multis effun- detur in remissionem peccatorum*; legatur Gobat in Theolog. Experim. tract. 3. num. 77. & Agudius d. par. 4. cap. 3. punct. 2. à num. 11. & seqq.

DECISIONIS XVIII.

Ad Aprilis primum Casum.

ARGUMENTUM.

Disputatur, an Confessarius Monialium pos- sit ingredi Clausuram pro frequente Com- munionem Monialis laborantis febre non mortali? Declaratur, quid sit Clausura Monasteriorum tum materialis, tum for- malis? Agitur de ejus antiquitate, & ul- tima rigorosa firmitate. Discutitur, quan- do liceat Monialibus egredi de Clausura? Quando viris eam ingredi? Quando acce- dere ad colloquendum cum Monialibus? Quæ pœnæ sint statutæ contra transgresso- res in iisdem casibus? Præcipue contra Regulares. Et resolvitur casus propositus affirmativè.

SUMMARIUM.

- 1 Clausura alia materialis, alia formalis.
- 2 Clausura Monialium est de jure Ecclesiastico.
- 3 Clausura Monialium antiquissima. Etiam in lege Mosaicæ.
- 4 Clausura virginum Deo dicatarum etiam in lege nature.
- 5 Monasteria Monialium in principio Ecclesiæ.
- 6 Clausura Monialium erat de præcepto etiam an- tiquis temporibus.
- 7 Bonifacius Papa VIII. indixit legem generalem Clausuræ perpetuæ Monialibus.
- 8 Excommunicatio ipso facto incurritur ingredi- endo Clausuram Monialium sine licentia ex Concil. Trid.
- 9 Cause tres, quibus Moniales à Clausura possunt exire.
- 10 Excommunicatio lata sententia, & reserva- ta Papa contra Moniales à Clausura exeuntes.
- 11 Clausura Monialium ingressus prohibitus à Gre- gor. XIII. & Paulo V.
- 12 Episcopi habent jurisdictionem in Regulares circa Clausuram Monialium.
- 13 Canonis in Germania non sunt adstricta per-

petuæ Clausuræ.

- 14 Dimisse in Italia non habent legem Clausuræ.
- 15 Moniales omnes professæ tenentur stare in Clau- sura perpetua.
- 16 Aliuvio, & bellum sunt cause licite Moniali- bus exeundi de Clausura.
- 17 Clausuram egrediendi non sufficit causa par- ticularis, sed universalis Monialium.
- 18 Monialis etiam cum legitima causa non exiit à Clausura absque licentia Sacr. Congreg.
- 19 Conversæ Moniales an possint exire de Clau- sura ad quarendas elemosynas?
- 20 Parvitas materia an detur circa egressum, vel ingressum Clausuræ?
- 21 Moniales violantes Clausuram quas pœnas in- currant?
- 22 Monialis in casu occulto violationis Clausuræ potest absolvi ab Episcopo. Secus in egressu no- torio num. 23. nisi periculum aliquod esset in mora num. 24.
- 23 Novitiæ, vel puellæ egredientes de Clausura non incurrunt excommunicationem Papa- lem, sed pœnas impositas ab Episcopo.
- 24 Clausura Monialium utilis, & necessitas ex moribus etiam Gentilium.
- 25 Clausura Monialium pro ingressu requiritur causa boni communis, vel particularis earum; vel aliquando exterorum pro arbitrio Episcopi.
- 26 Clausura Monialium pro ingressu aliquando suf- ficit licentia oretenus data.
- 27 Clausuram Monialium, ingredientibus absque justa causa, & absque licentia quas pœnas in- currant?
- 28 Casus septem, à quibus absolvere non possunt Regulares etsi privilegiati, ex Decreto Cle- mentis Papa VIII.
- 29 Clausuram Monialium Superiores ingredientibus absque causa, quas pœnas incurrant?
- 30 Pueros in Clausuram Moniales recipientes sunt excommunicati.
- 31 Licentia alloquendi Moniales danda est ab Epi- scopo.
- 32 Regulares ut coerceantur ab Episcopo circa ac- cessum ad Monasteria Monialium quinque jura attendenda.
- 33 Regulares non possunt celebrare Missam in Ecclesiis Monialium absque licentia Episcopi.
- 34 Confessarius potest ingredi Clausuram, quoties- cunque Monialis infirma petit Sacramenta.
- 35 Confessarius potest in Clausura assistere Monia- li moribunda.
- 36 Confessarius Monialium plura decreta Sac. Congr. concernentia.
- 37 Vicarius Episcopi non debet esse Confessarius Monialium.
- 38 Regulares non possunt esse Confessarii Ordinarii Monialium.

PRIMUS CASUS.

Q Uotidiana, sed non mortali febre Monialis labo-rans: cupit singulis festivis diebus, prout conso- rores sana faciunt, Eucharistiam sumere. Queritur, an Confessarius possit Clausuram ingredi ad has fre- quentes Communiones exhibendas?

Pro hujus casus canonica resolutione quatuor sunt theoremata notanda.

Primum est: Quod Clausura sumitur vel ma- terialiter tantum, & significat locum clausum, à quo aliquibus exire, vel in quem ingredi non licet.